

Stephanus Galdeti

*Contra Augustinensem:
inquiritur an Deus misericordius
agat cum peiori vel econtra*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

Utrum verbum divinum nobiscum efficiens valeat iuxta demeritum
cruciare. Posuit multa iste pater respondendo contra aliqua, tamen
5 extitit argutum.

Et primo, nam dixit Deum iuxta demeritum cruciare secundum
statutum sue misericordie.

Contra, nam, si hoc sit verum, tunc Deus misericordius ageret cum
magis peccante quam cum minus peccante. Consequentia patet per
10 modum deducendi ALTISSIODORENSIS et ELYPHAT, nam peccantibus
duobus uno peccato duplo, et puta ut octo, altero ut quattor, si iuxta
demerita oraret, oportet ut maiori remittat duplam penam, ut patet
satis consequentia. Notatum est esse falsum, nam magis peccans est
minus dignus misericordia. Ad istud concessit quod misericordius agit
15 cum peiori qui non est minus dignus misericordia, sed magis indignus
misericordia. Nec ob hoc indecet Verbum divinum sic agere, nam per hoc
nec magis peccanti nec minus posset agere misericorditer cum neuter
sit dignus.

Contra: concessum quod Deus non misericordius agit cum peiori,
20 nam equalem penam uterque remittit, igitur eque misericorditer cum
utroque agit. Consequentia patet. Et antecedens probatur ex uno dicto
istius patris, quod etiam dictum communiter tenetur, nam omnis peccans
mortaliter demeretur penam infinitam intensive, et sic cum quilibet
talis puniatur sola pena finita, sequitur quod uterque infinita remittitur,
25 et per consequens equalis, cum unum infinitum non sit maius alio, ut
suppono pro nunc.

Secundo, ad idem eque iuste agit cum utroque, igitur cum neutro
misericordius. Antecedens patet, quia duplo magis peccanti, duplo
maiores penam infligit, ut suppono. Et consequentia tenet pro tanto,
30 quia quanto quis iustius punitur tanto minus misericorditer, et econverso
quante misericordius tanto minus insit, ut videtur, quia quanto plus
infligitur de pena tanto minus remittitur, et econtra. Unde quamvis ista
sint simul et concurrant, tamen ex diversa causa aucto uno reliquum
minuitur et econtra. Et per consequens, si in aliquibus duobus unum sit
35 equale, et reliquum, ut videtur.

Tertio ad idem, nam queritur penes quid attentitur misericorditer:

1–2 contra — vel econtra] *in marg. sup. P1* 11 uno] *p. c. P1* 12 penam]
sed cum *add. sed del. P1*

vel misericordius puniri vel penes remissionem pene condigne debitam, et hoc non, quia sic cum quolibet infinite misericorditer agitur ut prefertur et tangit prima ratio; vel penes remissionem pene debite de lege statuta, et hoc non, quia de tali nichil de facto remittetur, alias non esset statuta dari.

Quarto, ad idem, nam supposito quod maiorem penam debitam de lege statuta seu aliter remitteret uni quam alteri, non sequitur ‘igitur misericordius agit’ sicut non sequitur ‘hoc pertransit maiorem resistantiam vel vincit, igitur velocius agit’. Nam dicam sibi quod remittere maiorem penam debitam peccato non est magis misericorditer agere, sed remittere maiorem proportionem pene ad peccatum, verbi gratia, si pro A peccato, deberet pena ut A pro B sub duplo, ut quattuor subduplentur pene respectu suorum peccatorum, quamvis a maiori auferatur maior quantitas pene, tamen post absolutionem remanebit equalis proportio penarum ad peccata que erat ante, et per consequens dicam quod equalis iusticia et misericordia, ut videtur, quare etc.

Ad primum respondet: quidquid sit de illo assumpto antecedentis, utrum scilicet equalem uterque remittat, quia infinita, quia tamen unus illorum magis illum meretur, puta magis malus, ideo cum illo agitur misericordius. Contra istud: quamvis ista solutio sit valde apparens, non arguitur contra ipsam, sed aliter reducitur, ideo cui reductionem non valebit ista solutio ‘sic eque misericorditer agitur cum utroque, igitur non misericordius cum peiori’. Consequentia nota.

|| Et sic non dimittitur propositum

P1 2v

Antecedens probatur ex concessu quod uterque infinita, igitur. Igitur cum utroque agitur infinite misericorditer, nam quanto alteri maior pene dimittitur tanto cum illo misericordius agitur iuxta illud *Luc. 7 extime quod id cui plus donavit*, igitur cui remittitur infinita pena vel infinitum debitum cum eo infinite misericorditer agitur. Alias, si non foret possibile eque misericorditer agi cum eo cui finita tantum remitteretur sicut cum illo cui infinita, per deductam conclusionem, igitur ex concessu suo contra ipsum.

Item, si sic, ut videtur iuxta dicta istius patris, magis misericorditer agere attenderet penes indignitatem misericordie impeccanter vel penes maiorem dignitatem pene. Et, si sic, sequitur quod non posset ita modicum bonitas magis malo de pena finita quin misericordius ageretur

8 agit | nam dicam *add. sed del. P1* 23 nota | de modo consequenter arguendi *add. sed del. P1* 24 et sic non — propositum | *in marg. sup. P1* 25 infinita igitur | equalem igitur eque misericorditer nam *add. sed del. P1* 30 possibile | *pe add. sed del. P1*

cum eo quam cum minus malo quantumcumque multum sibi remitteretur. Patet consequentia per dictum suum, nam semper peior est magis indignus misericordia. Consequens falsum, nam sequeretur quod totaliter remittendo minus malo, ymo conferendo sibi gloriam, non misericordius
 5 ageretur quod falsum videtur nec aliquis concederet prima fronte.

Item, si talis misericordia attenderetur penes indignitatem, Deus non posset misericorditer agere cum creato in puris naturalibus ipsum non puniendo aut premiando.

Item, maior peccator non semper magis indignus misericordia,
 10 nam peccatum ingratitudinis inter cetera faciens magis indignum misericordia, nam totius misericordie fontem siccat. Constat autem quod, cum sit finite malitie, potest esse aliquod peccatum alterius generis gravius illo.

Aliter autem, et posset esse ad principale, ostenditur quod minus
 15 malus sit vel esse possit eque indignus misericordia vel plus, nam talis tenetur Deo ex eo quod non est tantus peccator sicut alter, et per consequens plus obligatur Deo pro huius beneficio preservationis quam magis malus, igitur exinde aggravatur eius peccatum. Et fit iste minus dignus misericordia, et hoc videtur confirmari, nam super maiore peccato
 20 magis gaudium est angelis Dei, ut etiam habetur in Luce de filio prodigo et illud Appostoli, *ubi habundavit delictum superhabundabit et gratia*. Unde ista desertio in ulterius peccatum vel excessum peccati videtur esse quoddam malum, scilicet pene, quod videtur esse in magis malo sufficiens pro puniendo excessum sue malitie et preservatio in minus malo
 25 beneficium faciens in eo ingratitudinem vel saltem aliquem gradum ingratitudinis et indignitatis ad misericordiam consequendam. Et potest in tantum crescere illa ingratitudo quod faciet indignitatem tantam quanta est in magis peccanter, et sic causa negationis consequentie non manebit. Ista ymaginatio esset bene proseguibilis, qui eam poneret in
 30 forma.

Item posset argui quod magis malus non sit magis indignus misericordia seu quod non magis mereatur illam penam minus malo. Sic quilibet istorum summe meretur penam infinitam et est summe indignus misericordia, igitur equaliter. Patet consequentia, nam si inequaliter,
 35 unus magis alio, et sic alter non esset summe. Tale assumptum probo, quia nullus eorum est alico modo dignus misericordia, modo sicut id est albius quod est nigro impermixtius, et quod nullo modo est || nigro permixtum summe album vel albissimum, (sic) illud indignissimum

P1 3r

quod digno omnino impermixtum.

Item captis duobus quorum unus plus duplo alio peccavit, tunc duplo punitur, et tunc non videtur alico modo misericordius agi cum eo quam cum alio, nam tantum est precise dignus pena sua sicut alter, nec plus
 5 nec minus, nec aliquis istorum videtur dignior alio ulteriori pena nec indignior per consequens remissione. Et super hoc fundatur ratio alias facta quod eque iuste agitur cum utroque, igitur non misericordius cum altero.

Ad istud iste pater dicit quod non maiorem penam uni remitti
 10 quam alteri, quamvis non equalem, si concesserit. Dicit ibi se recipere ly ‘maius’ prout in proposito idem est precise quod penam aliquam demonstratam continere plures gradus demonstratos tante intenssionis demonstrate quam alia, quomodo nulla infinita pena intenssive est maior alia infinita et non prout idem est quod penam aliquam demonstratam
 15 continere eosdem saltem equivalenter et aliquos alios gradus tales quos non continet alia, licet non contineat plures. Ista est distinctio Magistri GREGORII in 1 in materia de infinito adservandum quomodo linea infinita ex utraque parte est maior sua medietate infinita ex altera tantum aut consimile saliendum in hac materia.

Contra hoc: primo, distinctio nulla est, nam secundum membrum
 20 non infert aliquid esse maius alio, non enim sequitur ‘hoc continet tantundem et aliquid quod non est aliud, igitur est maius illo’. Propter quod notanter dicimus aliquid esse maius alio quod continet tantundem et amplius sicque distinctio non servat virtutem sermonis.

Item, quamvis talis distinctio haberet locum in aliquibus infinitis, puta in illis quorum unum est pars alterius vel quorum unum est simpliciter equale toti alterum parti vel in quibus unum est pars alterius formaliter vel equivalenter, sicut dicebatur de duabus lineis infinitis, tum quod sit sic in penis debitor magis peccanti et minus peccanti
 30 et remissum videtur actum voluntarie ut arguatur sic. Et potest fieri ad principale omnem gradum pene possibilem et ymaginabilem quem demeretur magis malus demeretur minus malus, igitur tanta pena omnibus modis vel saltem nullo modo maior deberet uni quam alteri, igitur nullo modo maior nec primo, nec secundo modo remittitur uni
 35 quam alteri. Apparent consequentie satis note. Et antecedens probatur, nam si foret aliquis gradus qui deberetur magis malo et non minus malo, Deus iniuste posset punire minus malum illo gradu pene, quod non

18 ex² | utroque *add. sed del. P1*
 21 non² | si *add. sed del. P1*

19 materia | responsio *add. in marg. P1*

videtur.

Ad primum negat consequentiam. Contra: inferet quamcumque penam aut gradum pene quem demeretur unus et alter, igitur nullo modo maioris. Et ratio negationis est multiplicitas huius termini ‘maior’ vel ‘maius’ supradicto GREGORII.

Contra confirmando rationem arguitur sic: omnis pena debita magis peccati debetur minus peccanti vel equalis illi, igitur nullo modo maior. Consequentia videtur nota, nam non sequitur ‘alica pena que debetur Sorti non debetur Platoni, igitur maior debetur Sorti’, nisi addatur ‘que non debetur Sorti nec equalis’. Antecedens probatur, nam si alica debetur Sorti que nec equalis minus peccanti detur, illa aut est finita aut infinita. Si finita, non est dubium quin equalis debetur. Si infinita, non videtur cum sit solum finite peior, quia duplo. Hoc tamen dato, probatur quod non maior vel quod equalis debetur minus peccanti, quia sibi debetur pena continens tot partes et equales, igitur consequentia nota. Antecedens patet, quia quotcumque partes et quantecumque possunt signari in una pena infinita, tot et tante in alia || cuiuscumque intenssum et in quocumque et quantocumque numero capiantur. Et in hoc videtur iste pater cum GREGORIO deficere, nam dicunt unum infinitum maius alio, quia continet quiddid illud continet et aliquid quod non illud. Consequentia ulterius nichil valet, igitur istud est maius, nam gravis contineat aliquid quod non aliud, tamen aliud continet equale.

P1 3v

Item, ad idem signetur pena que debetur magis peccanti, et non minus peccanti. Contra: alica equalis debetur minus peccanti, igitur et ista, quia sunt eiusdem rationis. Nec videtur magis ratio de una contrarie debeatur quam de alia.

Ad idem, et est ad hominem: vel peccanti mortaliter debetur tanta pena quod non maior, quia infinita, et tunc non maior magis peccanti debetur quam minus alico modo minoritatis. Et propositum: vel non tanta quin maior, et tunc minus peccanti non solum debetur pena quam dicit fore minoris pena debita magis peccati, ymo ad hoc maior et maior in infinitum, et sic tanta ut magis peccanti vel non minor et multa alia de hoc possent tangi.

Secundus punctus tangendus de causalitate peccati respectu Dei. Ponebat ille pater quod omnia que facimus Deus est nobiscum efficiens

5 Gregorii] responsio *add. in marg. P1* 17 cuiuscumque] de causalitate peccati respectu Dei vel quod Deus sit causa peccati *add. in marg. sup. P1*
20 non] est id *add. sed del. P1* 34 punctus] de peccato *in marg. P1*

preter per se peccatum. Contra: Deus concurret ad positum peccati, puta ad odium Dei quod non potest non esse peccatum, igitur concurret ad peccatum. Antecedens notum. Et probatur consequentia, nam quidquid est causa antecedentis alicuius necessarie consequentie est causa sui
 5 consequentis. Aliter enim posset poni in esse et esse unum faciens sine suo consequente. Modo ista consequentia est bona: ‘odium Dei est vel fit, igitur peccatum est vel fit’. Confirmatur, quia in odio Dei est aliquis gradus malitie qui non est in carentia dilectionis Dei super omnia et illa non est nisi propter positum, nam omnis privatio que est in odio Dei
 10 est in carentia dilectionis Dei, igitur etc.

Ad primum declinatur ista consequentia ‘Deus est causa antecedentis, igitur consequentis’, nam hec est bona consequentia ‘alica entitas creata est, igitur Deus est’. Deus autem est causa antecedentis et non consequentis. Nec tamen propterea antecedens potest esse verum sine
 15 consequente.

Contra: restringitur illa regula sic ‘quidquid est causa antecedentis est causa consequentis quod incipit esse verum ad veritatem antecedentis precise’. Nec est necessarium aut aliunde incipiens esse verum. Sic est in proposito, igitur. Confirmatur, nam isto casu dato in proposito: ista
 20 sunt convertibilia antecedens et consequens, nam hee convertuntur ‘hoc odium Dei est’, ‘hoc peccatum est’, igitur quidquid est causa unius et alterius.

Secundo ad idem: quicumque vult antecedens alicuius consequentie bone et scit illam consequentiam et vult esse bonam habet rationabiliter
 25 velle. Consequens sic est de Deo respectu consequentie supradicte, nam vult antecedens ex concessio et consequentiam esse bonam, cum ipsa sit bona et rationabilis et iusta et vera, igitur cum nichil irrationabiliter velit, vult consequens.

Tertio confirmatur idem: Deus vult odium Dei esse peccatum ipso
 30 posito in esse. Ipse enim vult quod quicumque odit Deum peccet mortaliter, igitur facit odium Dei esse peccatum ipso in esse posito, igitur est causa peccati. Assumptum autem probo quod Deus velit odium Dei esse peccatum, nam iustum est odium Dei esse peccatum, si sit, vel supposito quod sit, igitur supposito quod sit, Deus || vult illud
 35 esse peccatum et facit, igitur etc. Quamplures rationes de hac materia a BRADUARDIN, BOKINKAM, FELCEP et ceteris.

P1 4r

Ad primam respondet negando illam regulam sic restrictam. Non

1 per se | *sup. lin. P1* ad | *iter. sed del. P1* 14 tamen | *iter. sed con.*
 P1 29 tertio | hic habet locum compositus divisus *add. in marg. P1* 37 ad
 primam respondet | responsio *add. in marg. P1*

enim oportet, si plures sint cause talis antecedentis regulam illam verificari pro illa que non est taliter causa illius qualiter, requiritur adhuc quod consequens ponatur in esse, sic est in proposito respectu Dei et nostri.

5 Contra, nam sic Deus est causa talis antecedentis, scilicet bene iuste causans quidquid causat et taliter causare requiritur ad peccare, nam nullo modo contingeret nec contingere posset peccare saltem comittendo Deo non concurrente ad substantiam actus, si vero intelligat, ut videtur debere intelligi talitercumque qualitercumque. ‘Requiritur adhuc quod
10 consequens ponatur in esse’ non est glosa rationabilis, nam licet hec requiratur ad causam totalem effectum totaliter producentem, non ad causam partialem, ut posset in multis exemplis dari. Talis autem causa Deus est, scilicet partialis, cum agit cum causa secunda, igitur sufficit quod aliquo qualiter taliter agat qualiter requiritur ut consequens ponatur
15 in esse, nam aliter nec solum peccatum nec alicuius alterius ubi agit causa secunda Deus foret causa.

Secundo, quia iste pater videtur salvare quod Deus non sit causa peccati, quia quamvis agat actum qui est malus, non male agit illum. Modo adhuc quod actus sit malus malitia culpe requiritur ut ab alico
20 male fiat et ab illo est malus.

Dico isti ymaginationi istius patris quod bene inintelligibile foret quod Deus faceret odium Dei esse malum et esse peccatum, quia faceret ipsum esse male et culpatur a causa secunda, puta ab homine. Et cum hoc bene et iuste faceret, et tunc ipse esset causa consequentis
25 consequentie supradicte, et non esset taliter causa qualiter requiritur ut ponatur in esse vel saltem qualiter ponitur in esse.

Tertio, cum illa consequentia sit bona ‘odium Dei est, igitur peccatum est’, saltem videtur bona de alico per se peccato quod non contingit bene esse aut non esse peccatum. Et Deus potest non concurren-
30 te aliquo agente secundo producere antecedens, igitur et consequens, alias antecedens foret verum sine consequente nec foret consequentia bona. Assumptum patet, nam quidquid potest Deus cum causa secunda potest se solo. Confirmatur, quia potest quidquid non implicat, modo quod Deus faciat se solo odium in mente creature rationalis nulla contradictoria
35 implicat, ymo de facto odium quod est in dampnatis videtur causare.

Ad istud dicit solum sequi ‘quidquid potest cum causa secunda potest se solo’. Non plus sequitur nisi quod odium Dei potest se solo,

25 qualiter] qualitercumque a. c. P1
36 ad istud] responsio add. in marg. P1

34 rationalis] libere add. sed del. P1

sed non potest se solo facere odium Dei esse. Sed contra fuit argutum, quia non implicat.

Dicit quod ymo implicat, nam dicit sequi Deum male agere et non esse summe bonum nec Deum. Contra, nam precise sequitur Deum facere
5 malum nec est idem formaliter malum agere et male agere, igitur non bene insint. Consequentia formali nisi tantum consequentia voluntaria confirmatur, nam non plus sequitur ‘Deus se solo agit odium Dei, igitur male agit’ quam sequitur ‘Deus cum creatura agit odium Dei, ergo male agit’, nam coniunctio cum alio ipsum a peccato non videtur excusare,
10 ymo agravare, nam scandalizat, nisi forte dicatur quod odium Dei non potest esse malum nisi ab alico male ponatur, sed istud non est notum ex terminis.

3 agere] contra nam *add. sed del. P1* non] *p. c. P1*